# Prohibitio agitationis Taurorum, aliarumque ferarum bestiarum, cum annullatione votorum, & juramentorum desuper adhibitorum.

## PIUS EPISCOPUS,
## *Servus Servorum Dei.*
## *Ad perpetuam rei memoriam.*

De salute gregis Dominici, nostrae curae divina dispensatione crediti, prout ex debito Pastoralis officii adstringimur, solicite cogitantes, fideles cunctos gregis ejusdem ab imminentibus corporum periculis etiam animarum pernicie perpetuo arcere studemus.

§. 1. Sane licet detestabilis duellorum usus a diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto Concilii Tridentini prohibitus fuerit, nihilominus adhuc in plerisque Civitatibus, & aliis locis, quamplurimi ad ostentationem virium suarum & audaciae, in publicis privatisque spectaculis, cum Tauris, & aliis feris bestiis congredi non cessant, unde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur.

§. 2. Nos igitur considerantes haec spectacula, ubi Tauri, & Ferae in circo vel foro agitantur, a pietate, & caritate Christiana aliena esse, ac volentes haec cruenta turpiaque, daemonum & non hominum, spectacula aboleri, & animarum saluti quantum cum Deo possumus providere, omnibus & singulis Principibus Christianis quacumque, tam Ecclesiastica quam mundana, etiam Imperiali, Regia, vel quavis alia dignitate fulgentibus, quovis nomine nuncupentur, vel quibusvis Communitatibus & Respublicis, hac perpetuo nostra constitutione valitura

sub excommunicationis, & anathematis poenis ipso facto incurrendis prohibemus & interdicimus, ne in suis Provinciis, Civitatibus, Terris, Oppidis & locis, hujusmodi spectacula, ubi Taurorum aliarumque Ferarum bestiarum agitationes exercentur, fieri permittant, Militibus quoque ceterisque aliis personis, ne cum Tauris & aliis bestiis in praefatis spectaculis, ipsi tam pedestres quam equestres congredi audeant, interdicimus.

§. 3. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, Ecclesiastica careat sepultura.

§. 4. Clerici quoque tam regularibus quam saecularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris Ordinibus constitutis, sub excommunicationis poena ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus.

§. 5. Omnesque obligationes, juramenta & vota, a quibusvis personis, Universitate vel Collegio de hujusmodi Taurorum agitatione, etiam ut ipsi falso arbitrantur in honorem Sanctorum, seu quarumvis Ecclesiasticarum solemnitatum, & festivitatum, quae divinis laudibus, spiritualibus gaudiis, piisque operibus, non hujusmodi ludis celebrari & honorari debent, hactenus factas, & facta, seu in futurum fienda, quae & quas omnino prohibemus, cassamus, & annullamus, ac pro cassis, nullis & irritis haberi perpetuo decernimus atque declaramus.

§. 6. Mandamus autem omnibus Principibus, Comitibus, & Baronibus S. R. E. feudatariis, sub poena privationis feudorum, quae ab ipsa Ecclesia Romana obtinent. Reliquos vero Principes Christianos, & Terrarum dominos praedictos hortamur in Domino, & in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut pro divini nominis reverentia & honore, praemissa omnia in suis dominiis, ac Terris hujusmodi exactissime servari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi.

§. 7. Ac universis, venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, in virtute sanctae obedientiae, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis aeternae, quatenus in Civitatibus, & Dioecesibus propriis praesentes nostras litteras sufficienter publicari faciant, & praemissa, etiam sub poenis & censuris Ecclesiasticis observari procurent.

§. 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac exemptionibus, privilegiis, indultis, facultatibus, & litteris Apostolicis, quibusvis personis cujuscumque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus illorum tenores praesentibus pro expressis habentes specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem quod praesentes litterae in Cancellaria nostra Apostolica, & acie Campi Florae de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur, & earum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigilo alicujus Praelati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberentur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Cal. Novembris, Pont. Nostri anno secundo.

*Anno a Nativitate Domini 1567. indict. 10. die vero 15. mensis Novembris, Pont. Sanctiss. D. N. D. Pii divina providentia Papae V. Anno ejus II. retroscriptae litterae Apostolicae affixae & publicatae fuerunt ad valvas Cancellariae Apostolicae, & in acie Campi Florae, ibidem dimissis copiis affixis per nos Antonium Clerici, & Joannem Andream Rogerium praefati S. D. N. Papae Curs.*

*Joannes Guerardus Mag. Curs.*